



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLIX. Die Herzöge Rudolph, Albert und Wenzel von Sachsen verkaufen das Dorf Fredersdorf an den Propst und das Domcapitel, am 9. Dez. 1313.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CLIX. Die Herzöge Rudolph, Albert und Wenzel von Sachsen verkaufen das Dorf Frederiksdorf an den Propst und das Domcapitel, am 9. Dez. 1313.

— Rudolphus, Albertus et Wenzlaus, dei gratia duces Saxonie — libere et voluntarie de consensu omnium, quorum interest, et de maturo consilio consiliariorum nostrorum vendidimus et tradidimus, vendimus et tradimus proprietatem et jus proprietatis ville Vrederikestorp cum omnibus ejus pertinentiis singulis et universis, cum viis et inviis, accessibus et egressibus, terris, mansis, cultis et incultis, in quantum fines et extremitates camporum ville Vrederikestorp se extendunt, videlicet ut agri, qui in longum se extendunt in tanta longitudine, sicut agri, qui ex transverso vadunt, permanebunt, silvis, lignis, rubetis, nemoribus, rubis, salicibus, pratis, pascuis, graminibus, cum aquis, aquarum discursibus, molendinis factis et faciendis, ripis, piscinis, piscatonibus et paludibus, cum serviciis et servitutibus tacitis et expressis, cum omni libertate, cum advocatiis, judiciis et jurisdictionibus omnium predictorum, quocumque nomine censeantur, proprietatis titulo et modo et cum omni jure, prout hactenus habuimus et possedimus, nichil nobis juris in predictis omnibus retinendo, honorabili domino Johanni, Brandenburgensis ecclesie preposito, ecclesieque sue Brandenburgensi perpetuo possidendis (sic!) libere et quiete pro ducentis et sexaginta marcis, quam pecuniam ab eodem Johanne, preposito predicto libratam et numeratam totam in moneta Stendalgenfi recepimus. Habebunt vero villani dicte ville Vrederikestorp usum usufructum et utilitatem lignorum, graminum et pascuorum totius paludis pro pretio consueto, quod pretium preposito Brandenburgensi et sue ecclesie erogabunt, ipse etiam prepositus et suus conventus Brandenburgensis de dicta palude quantum indigerint, lignis valeant uti. Quicquid etiam de humulo et nucibus in prefata palude colligendis in quantum se palus versus villam Vrederikestorp vel confines ejus extendit, et a rivulo, qui dicitur Roderbeke, usque ad campum ville, que dicitur Boghetiz, villani nominate ville Vrederikestorp pro conventionione et precio ut humulum et nucas colligant, preposito prefato et sue ecclesie Brandenburgensi tribuetur, sicut nobis hactenus donaverunt, nec a nobis vel advocato nostro vel a quoquam officiali nostro dicti villani in Vrederikestorp, ut humulum et nucas colligant, pro conventionione et pretio, sicut alii dant in sepedicta palude debeant prohiberi. Item vasalli in eadem villa Vrederikestorp bona pheudalia tenentes cujuscunque conditionis fuerint, talia bona a prefato preposito in pheudum recipiant, quod, si qui hoc facere recusaverint, predictus prepositus unicuique pro unoquoque integro frusto emptionis titulo quinque marcas Stendalgenfis monete et ponderis erogabit. Insuper predicta villa Vrederikestorp sub nostra protectione et tuitione ab injuriis, sicut et bona nostra, ex pacto in venditione facto perpetuo permanebit. In quorum omnium et singulorum supranominatorum ipsum dominum Johannem prepositum et ecclesiam suam in possessionem mittimus per presentes et investimus ipseque et sue ecclesie cavere de emptione quocumque tempore promittimus et a quolibet inquietatore warandare, renunciantes nichilominus omni exceptioni, defensionioni et auxilio juris canonici et civilis, per que nostra possit venditio et traditio quomodolibet impediri. In hujus autem venditionis et traditionis confirmationem et evidentiam pleniorum et ne alicui dubium super hiis in posterum oriatur, presentes litteras cum infra scriptis testibus ad hoc vocatis pro testimonio scilicet domino Thedolfo de Nedekke, Conrado de Tumen, Tylone de Noppin, Conrado Vogelsak, militibus, domino Tyderico nostro notario et domino Bodone plebano in Belytz et allis quam pluribus fide dignis, De nostro jussu et scientia conscriptas ipsi domino preposito et sue ecclesie dedimus et damus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum et datum Belytz anno domini M^o. CCC^o. XIII^o. dominica, qua cantatur: Populus Syon.

Nach dem Originale.